OBSERVATIONUM

IN

DIFFICILIORA QUAEDAM

CRATINI

ALIORUMQUE COMICORUM GRAECORUM FRAGMENTA

SPECIMEN ALTERUM

PROPOSUIT

CARLOLUS WILHELMUS LUCAS,

CONFLUENTINUS.

BONNAE MDCCCXXXIII.

LITTERIS CAROLI GEORGII.

Alterum hoc specimen observationum in Cratini aliorumque comicorum graecorum fragmenta quum eodem consilio a me conscriptum sit eademque mente proponatur, quam data opportunitate ante hos quinque annos *) de his meis studiis copiosius declarandam esse existimavi, nunc paucis, quae mihi concessae sunt, paginis ne praefando abutamur, statim res ipsa, quam paramus, aggredienda esse videtur.

I. Schol. ad Aristoph. Av. 1406 (p. 495, 35. sq). *Λεωτροφίδη*] *ἐπειδὴ καὶ οὗτος τῶν σφόδρα λεπτῶν. ἢ* (fort. *ἦν*) *καὶ οὗτος διθυραμβοποιὸς κοῦφος. φησὶν οὖν, βούλει τῷ Λεωτροφίδῃ τὴν Κεκροπίδα φυλὴν διδάσκειν; ἀπὸ γὰρ ταύτης ἦν Λεωτροφίδης. τινὲς δέ, ὅτι κοῦφος καὶ χλωρὸς ἦν, ὡς ἐοικέναι ὄρνιθι. Θεόπομπος δὲ ἐν ταῖς Καπηλίσι·*

Λεωτροφίδης ὁ τρίμετρος ὡς Λεόντινος,
εὔχρως τε φάναι καὶ χαρίεις ὥσπερ νεκρός.

Etsi quisque facile sibi persuadet, hoc Theopompi fragmentum non una ex parte corruptum esse, vix tamen quisquam loco sanando curam adhibuit. Liceat igitur mihi coniecturam proponere, qua et metro turbato et sensui obscuro lucem afferre conatus sum. In priore versu *Λεόντινος* depravatum est; haec lectio apud Portum reperitur; neque melius est *λεοντῖνος*, quod Aldina praebet. In altero versu *φάναι* haud dubie librariorum commentum est, non a Theopompo profectum; neque etiam ipsa Porti lectio *φᾶναι* sana est. In reliquis verbis nulla exstat lectionis varietas, neque me quidquam offendit. Itaque ut versus trimetri iambici appareant, quorum apertissima vestigia conspiciuntur, puto sic legendum esse.

Λεωτροφίδης ὁ τρίμετρος ὡς λεόντιος!
εὔχρως τε φαίνει καὶ χαρίεις ὥσπερ νεκρός.

Singularis vis comica in hoc fragmento inest, si quid in eiusmodi rebus video, modo versum priorem in formam exclamationis redegeris, ut fecimus; quem quidem

---

*) Specimen illud observationum in difficiliora quaedam Cratini fragmenta praemissum est indici examinum publicorum, quae in gymnasio nostro habita sunt anno MDCCCXXVIII.

sensum saepius exprimit particula ὡς. cfr. Eurip. Med. 330. Aristoph. Vesp. 1266. Leotrophides, ob gracilitatem saepe exagitatus a comicis (cfr. Hermippi fragm. ap. Schol. ad Aristoph. Av. 1406., emendatum a Dindorfio, plenius servatum ab Athen. p. 551. A.), haud dubie fictum istud cognomen accepit ὁ τρίμετρος, ut corporis proceritas ridicule indicaretur. Nam τρίμετρος, cuius vocis notio in nostro verborum contextu magis sentiri potest, quam verbis definiri, hominem significare videtur, qui trium virorum magnitudinem aequat. Huic proceritati et maciei comicus speciem adiungit fortitudinis et figurae leoninae, qua appellatione et nomen Leotrophidae imitatur eiusque tenuitatem declarat. Haec est huius versus vis ironica, quae penitus tollitur, si vulgatam lectionem *Λεόντινος* servamus, cuius viri ignoti nomen, quis est, qui nostro loco probabiliter vindicare possit? Quam de priore versu sententiam exposuimus, eam in altero egregie probatam invenimus, cum additamento ὥσπερ νεκρὸς praecedentibus verbis sua cuique significatio, totique fragmento reprehensionis color tribuatur. Tantum enim aberat, ut Leotrophides splendorem quendam, magnificentiam speciemque leoninam prae se ferret, ut potius deridendus esset propter deformitatem et imbecillitatem. Non igitur εὔχρως debebat nominari, sed χλωρός, quo colore eum conspicuum fuisse scholiasta supra laudatus diserte testatur, neque χαρίεις, sed ἄχαρις, quam interpretationem aperte praebet illud ὥσπερ νεκρός. Itaque continet fragmentum Theopompi descriptionem Leotrophidae, hominis proceri, macilenti et valde invenusti, cui, ut Ovidius canit, *pallor in ore sedet, macies in corpore toto.* Exagitare eiusmodi homines macilentos, poetas potissimum dithyrambicos, comicis maxime placuisse, certa veterum testimonia docent (cfr. Athen. l. l.), iisque solis tribuendum esse puto illud dictum valde lepidum de Phileta Coo, qui ob summam corporis gracilitatem et maciem cum quavis occasione facile subverti posse videretur, plumbeas soleas gestasse dicitur, ne a ventis prosterneretur, si paulo vehementius eum afflarent. Cfr. Aelian. V. H. IX. c. 14. X. c. 6. Athen. p. 552. B.

II. Eustathius ad Hom. Odyss. ξ, p. 1761, 23. e scriptis Aristophanis grammatici multa vocabula nova atque inusitata (καινοφώνους λέξεις) commemorat, quorum et haec sunt, λέγει δὲ καὶ λαπίζειν παρὰ Σοφοκλεῖ τὸ συρίζειν, καὶ βαυβᾷν τὸ κοιμᾶσθαι, οἷον· ἡ δὲ προὐκαλεῖτό με | βαυβᾷν μετ' αὐτῆς — ὅθεν, φησί, καὶ παρὰ Κρατίνῳ τό,

λόγος τις ὑπῆλθ' ἡμᾶς ἀμαθὴς συβάνβαλος.

Ad trimetros iambicos refero hunc versum, impeditum profecto, neque a multis tractatum. Duebnerus (Kritische Biblioth. für das Schul- und Unterrichtswesen. März 1829. p. 139.), de comicis graecis perbene meritus, locum sic laudat, λόγος τις ὑπῆλθ' ἡμᾶς ἀμαθὴς — Qua quidem scriptura viri docti mentem non assequor. Illud ἀμαθὴς non facile quisquam cum λόγος coniungat, a quo est nimis remotum; at eo plus auctoritatis vox συβάνβαλος nanciscitur. Runkelius (Cratin. fragm. p. 88) quum hoc fragmentum ex-

hibet et interpretatur, non uno nomine est castigandus; nam primum ἡμᾶς haud dubie per negligentiam omisit; deinde vocem συβάνβαλος lexicis addi vult, quae iam diu addita est (cfr. Schneid. Lex. s. v. βαυβάω. Henricus Stephanus in Thesauro vocem commemorat, sed, qua significatione apud Cratinum usurpata sit, se expedire non posse fatetur); denique falsus est, quum συβαύβαλος vertit *dormitans.* Magnam profecto difficultatem parat vocabulum rarissimum συβαύβαλος, quod ut intelligamus, ad analogiam aliarum vocum, veluti homericarum ὑφορβὸς et συβώτης, referamus necesse est. Ad formationem quod attinet, vox composita est ex σῦς et βάυβαλος; factum est βάυβαλος a βαυβῶ, sicut διδάσκαλος a διδάσκω. Jam vero primum βαυβᾷν grammatici idem esse perhibent, quod καθεύδειν. Hesych s. v. βαυβᾷν. cfr. Bekkeri Anecd. gr. p. 85, 10. Tum praeter notionem activam, *dormire*, transitivam habet, *facere, ut aliquis dormiat,* sive *sopire* et *curare nutricis instar* (βαυβᾷ· κοιμίζει. Hesych. et Suid. Βαυβώ τιθήνη Δήμητρος. Hesych.), quae primaria est significatio in verbis cognatis βαυκαλᾷν (κατακοιμίζειν· τιθηνεῖν· παιδία μετ' ᾠδῆς κοιμίζειν. Hesych., ad quem locum vide virorum doctorum observationes), βαυβαλίζειν et βαυκαλίζειν (cfr. Bekkeri Anecd. gr. p. 85, 14. Hesych. s. v. κατεβαυκάλησε), unde βαυκαλήσεις· αἱ τῶν τιθηνούσων ᾠδαί. Athen. p. 618. E. In composito vocabulo συβαύβαλος prior significatio, intransitiva videlicet, non est admittenda, utpote inepta; valet contra altera, activa, ita ut significetur pastor aliquis, qui sues ad dormiendum in stabula sive in cubilia ducit, et, ut dormiant, curat sive noctu apud sues in stabulis versatur, subulcus infimi ordinis. Eadem ratio in permultis vocabulis perspicitur, ut in συβώτης a βόω sive βόσκω, quod est *pascere* sive *vorare,* et *facere, ut greges pascant;* quamquam transitiva significatio et in βώτης, *pastor,* et in συβώτης, *subulcus,* praecipua est. Etsi quae hactenus disputavimus nullum locum dubitationi relinquere videntur, nova tamen difficultas movetur apud Hesychium et Photium s. v. συοβαύβαλοι, qui uterque hanc vocem interpretatur συῶν αὐλιστήρια (κοιμητήρια Hesych. cfr. συνόβαυνοι et interpr.). Difficultas non tollitur, nisi statuas, aut συοβαύβαλος (ad formam idem quod συβαύβαλος, ut ὑφορβὸς et ὑοφορβός, συοφορβία et συοβοιωτοί) significare et locum, ubi sues dormiunt, et subulcum, qualem supra descripsimus, aut legendum esse apud Hesychium et Photium συοβαυβαλαὶ (ut est in τροφὸς et τροφή, ὑφορβὸς et φορβή; βαυκάλη in H. Steph. Thes. laudatur), quo suum stabula indicarentur, aut lexicographos vocem συβαύβαλοι non intellexisse. Quidquid amplectaris, mihi persuasum est, συβαύβαλος a Cratino factum esse e voce βαυβᾷν, et συοβάυβαλοι (sive συοβαυβαλαί, si unquam extitit) ab Hesychio et Photio e comico quodam poeta esse petitum. Sed ne sic quidem Cratini fragmentum omni mendo liberatum puto; meo iure pro λόγος τις conieci legendum esse λόγοις sive λόγοισιν. In paucis tamen et abruptis Cratini verbis non ausus sum aliquid mutare.

III. Hac opportunitate commemorabo et explicabo locum Eupolidis, quem Runke-

lius, quum eiusdem comici fragmenta ederet, neque recte proposuit, neque intellexit. Laudatur ille locus ab Eustathio (ad Odyss. ξ, p. 1761, 39.) in eadem Aristophanis grammatici disputatione, cuius supra mentionem fecimus, atque sic exhibetur a Runkelio p. 169. fragm. 288. *καὶ οἱ ἐμετοὶ ἐμίαι, ὡς κοχλίαι. Εὔπολις δέ φησιν ἐπὶ τοῦ κακοφώνου*

Τὴν ἐμίαν τίθησιν.

Scribendum est haud dubie, *καὶ οἱ ἐμετοὶ ἐμίαι, ὡς κοχλίαι. Εὔπολις δέ, φησίν, ἐπὶ τοῦ κακοφώνου τὸν ἐμίαν τίθησιν.* Illud *φησίν* non referendum est ad Eupolidem, sed ad Aristophanem grammaticum, uti saepe in eadem disputatione *φησὶ* aut *λέγει* inseritur. *Τίθησιν* non Eupolidis est, sed Aristophanis grammatici. Proba lectio est *τὸν ἐμίαν*, quod ex ipso contextu luculenter apparet. Nam casus primus sonat *ὁ ἐμίας* pro *ὁ ἐμετός*, sicuti *ὁ κοχλίας*, ad primam declinationem. Haec diserte docet Eustathius ad Il. ξ, p. 996, 39. *ἐμίας, ὡς κοχλίας, ὁ ἐμετικὸς ἢ εὐεμής.*

IV. Photius Lex. *Λέρνη θεατῶν. ἀντὶ τοῦ κακῶν θέατρον. Κρατῖνος. οἱ μὲν διὰ τὴν Ὕδραν· οἱ δὲ διὰ τὸ τοὺς Ἀργείους τὰ καθάρματα ἐκεῖ ἀποφέρειν· ὁ γὰρ Δαναὸς ἐν τῇ Λέρνῃ τὰς κεφαλὰς τῶν Αἰγυπτιάδων ἀπέθετο, καί, ὡς εἰκός, ἐφ' ὕβρει ἐκέλευσεν τὰ δεισαια* (sic) *ἐκεῖ ῥίπτειν.*

Eadem habet Suidas s. v. *Λέρνη θεατῶν*, praeterquam quod pro *δεισαια* legitur *δυςοιώνιστα* et post *ῥίπτειν* additur, *οἱ δέ, Λέρνη κακῶν.* Illud *δυςοιώνιστα* nihil auctoritatis apud me habet, neque quidquam ad sensum rerumque historiam confert, quam et hinc et aliunde accuratissime novimus. Photii lectio *δεισαια* per se nihil valet, sed probae vocis apertissima vestigia indicat; itaque ut vitium tollatur, legendum esse coniicio *δεισαλέα*. Nam Suidas explicat *δεῖσα· κόπρος*, et *δεισαλέα· κοπρώδη*, atque Hesychius *δισαλέος· ῥυπαρός*, et *δισαλία· ἀκαθαρσία.* Quae apud Suidam addita sunt, *οἱ δέ, Λέρνη κακῶν*, a loco aliena sunt et ab indocto quodam haud dubie inculcata. Cratini sententiam accuratius declarant Hesychii verba, *Λέρνη θεατῶν. παροιμία τίς ἐστιν Ἀργολική, Λέρνη κακῶν* (cfr. Paroemiographos), *ἣν ἀποδιοπομπούμενοι ἔλεγον· τὰ γὰρ ἀποκαθάρματα εἰς τοῦτο τὸ χωρίον ἐνέβαλον. Λέρνην οὖν θεατῶν ἔφη ὁ Κρατῖνος τὸ θέατρον διὰ τὸ σύμμικτον εἶναι καὶ παντοδαπὸν ὄχλον ἔχειν.* Hanc singularem imaginem Cratinus de theatro usurpavit ob abominandam infimae plebis sentinam atque colluviem, qua illud repletum esse solebat. cfr. Erasm Adag. Chil. I. Cent. III, 27. Quae cum ita sint, Runkelius multis nominibus castigandus est, propterea maxime, quod Cratini sententiam proverbium eiusque originem incertam esse dicit. Cratini sententia nunquam in proverbium abiit, sed e proverbio fluxit eoque satis explicato et perspicuo.

V. Hesychius s. v. *Αὐτόφορτοι· αὐτοδιάκονοι. κυρίως δὲ οἱ ἐν τοῖς ἰδίοις πλοίοις. Σοφοκλῆς Θυέστῃ Σικυωνίῳ. ὁ δὲ Κρατῖνος ἐν Χείρωσι, τοὺς τὰ κοινὰ φορτιζο-*

μένους ἔφη. Vulgo *ἐν Χείρωνι*; itaque Runkelius locum Cratino iuniori tribuendum esse putavit (Cratin. fr. p. 103.), meliora iam edoctus a Meinekio (Quaest. scen. spec. III, p. 47. cfr. Runkel. ad Eupol. p. 195.); idem iudicandum est etiam de aliis Cratini locis (Schol. ad Soph. Oed. Col. 477. Schol. ad Thucyd. VIII, 83.), nisi Cratini iunioris, quippe minus clari atque nobilis auctoris, mentio fiat. Sed Runkelius Hesychii locum, quem adscripsimus, non intellexit, quum sic totum absolvat, *αὐτόφορτοι.* Hesychius t. I. c. 630. *Αὐτόφορτοι* enim minime Cratini vocabulum est, sed dictio *φορτίζεσθαι τὰ κοινά*, aut simile quid, ut supra hesychiani loci scriptura et interpretatione satis accurate significavimus. Verba *ὁ δὲ Κρατ.* etc. fortasse a viro docto adscripta sunt, qui Cratini testimonio generalem vocis *φορτίζεσθαι* significationem probare vellet. Etenim Cratinus loquitur de iis, qui rem publicam oneribus et molestiis premunt, missa omnino navis notione, quae saepe inest voci *φόρτος*, *φορτίς*, *φορτίζειν*, aliis.

VI. Locus Eupolidis, quem Zonaras laudat Lex. col. 605., ita legitur, *τίς οὐκ ἐξεγείρας μ' ἐστὴν οἰμώξει μακρά· ὅτι ἢ μ' ἀνέστησ' ὠμόϋπνον.* Quae verba etsi corruptissima sunt, facili opera emendabuntur, si codicum quorundam praestantissimorum lectionem adhibueris. Nam primum egregius codex *K.* sic habet, *τίς οὐξεγείρας με 'στιν*; tum ex codicibus Marcianis unus, Nanianus *), haec praebet, *τίς οὐκ ἐξέγειρας μ' ἐστὶν οἰμώξει μακρὰ ὅτι ημ' ἀνέστησ' ὠμόυπνον.* Haec subsidia et commemorare et usurpare debebat Runkelius, qui gloriolae cuiusdam aucupandae causa etiam lectionem codicis K, quam compertam habebat, reticuisse videtur; quamquam ex illa lectione totius loci emendatio facillime petenda est. Quae cum ita sint, huius loci emendatio ad solos apices redit, in quibus Runkelius suum munus praestitit (Eupol. fragm. p. 171.); ego post *μακρά* minorem interpunctionem statui. Itaque fragmentum ex trimetris petitum ita scribendum est,

τίς οὐξεγείρας μ' ἔστιν; οἰμώξει μακρά,
ὁτιή μ' ἀνέστησ' ὠμόϋπνον —

Sed nescio, quid Runkelio acciderit, quum in versu altero corruptelam latere dicat, atque ineptissimam lectionem *ὦμο ὕπνου* proponat, Zonara ipso probum Eupolidis vocabulum suppeditante, quod etsi satis rarum est, optima tamen sanitate gaudet. Reperitur enim, ni fallor, apud unum Philostratum Vit. Apollon. VIII, 31. p. 371.

---

*) Ex illo codice Naniano etiam alii loci emendatius fortasse edentur. Quod cum de Cratino et Eupolide neglectum esse videam, moneo codicem egregium in loco Zonarae v. *διαρρικνοῦσθαι* (p. 59. Runk.) Cratini nomen repraesentare, quum plerumque Crates laudetur; idem liber in Cratini fragmento apud Zonaram v. *κάθου* (p. 76. Runk.) pro *κλάων* exhibet *κλαίων*, et in Eupolidis loco apud Zonar. v. *διέφθορεν* (p. 301. Runk.) *νεανίσκον ξυνών.* De qua re vide Tittmanni prolegomena ad Zonar. p. XXXVII.

ed. Olear., ibique vocem non cum Oleario latine verterim *semisopitus*, sed *semisomnus*, quod idem de Eupolidis loco valet. Comparari potest illud homericum *ὠμογέρων*, de quo vide Apollon. Soph. Lex. s. v. et scholia.

VII. Eupolidis fragmentum servatum ab Harpocratione s. v. *κατάστασις*, Photio s. v. et Suida T. II, p. 265. aperte trochaicos tetrametros declarat; at versus secundus etsi locis laudatis sine ulla lectionis varietate exhibetur, itaque nuper editus est (Eup. fr. p. 157. Runk.), sic tamen constitutus est, ut non dubitandum sit, quin numerus trochaicus adeoque sensus lectione vulgata *ἄφνω* impediatur. Cui ut consulatur, facili emendatione ductus scribendum censeo,

οὐκ ἐσωφρόνησας, ὦ πρεσβῦτα, τὴν κατάστασιν
τήνδε λαμβάνων ἀφανῶς, πρὶν καὶ μαθεῖν τὴν ἱππικήν.

Schneiderus Lex. s. v. *κατάστασις* locum laudat et germanice vertit, sed vocem corruptam neque graece, neque germanice attingit; idem, nescio quo errore ductus, *ἀπόστασιν* legit, et in aliis minoribus a scriptura librorum recedit.

VIII. Poll. II, 28. *Κρατῖνος δὲ στημονίας κικίννους εἶπε τοὺς στήμονι ὁμοίους ὑπ' ἰσχνότητος.*

Cratini locum respexit Hesychius, cum dicit, *Στημονίας κικίννους, τοῖς στήμοσιν ὁμοίους.* Ita interpungendum est. — Quotiescunque vel unum vocabulum Cratino lucrari possum, lubentissime id facio; itaque cum Runkelius Pollucis locum ita laudet p. 98. *στημονίαι*, *cincinni*, quod sane ineptum est, fragmentum redintegrandum putavi, vocemque *κικίννους*, poetae nostro et iniuria et incuria a Runkelio surreptam, restituendam esse censeo. Placuit mihi aliquando in Pollucis et Hesychii loco *στημονίους κικίννους* legere; sed nihil muto.

IX. Hesych. v. *ἐλλόποδας. ἡ λέξις παρὰ Κρατίνῳ. γέγονε δὲ παρὰ τοὺς ἔλλους, καὶ λέγει κοινῶς τοὺς νεβροὺς καὶ τοὺς στρουθούς, ἢ νεοττοὺς ὄφεως· ἀπὸ τοῦ ἅλλεσθαι.*

Runkelius p. 93. locum ita laudat, *ἐλλοπίδαι*, *parvi serpentes*, quam vocem lexicis addendam esse vult. Cratinei vocabuli scriptura aeque mala est, ac versio. Adscripsi igitur locum, ut meo iudicio legi debet. Pro *ἐλλόπιδας* veram lectionem praebet Etym. p. 331, 53. *ἐλλόποδες καὶ ἐλλοί. οἱ στρουθοὶ καὶ οἱ νεβροί· ἀπὸ τοῦ ἅλλεσθαι.* Significat igitur generaliter bestias *salientes* sive *saltipedes*; de passere id docet Plinius Hist. nat. X, 38. Praeterea apud Hesychium male legitur *ἔλλους*. Reliqua aperta sunt et clara.

X. Schol. ad Aristoph. Av. 121 (p. 417, 9.). In Platonis fragmento, *καὶ τοσοῦτον εὐεριας ἀπολέλαυκεν ὁ Ὑπέρβολος, ὥστε αὐχμώτατός ἐστι*, numerum trochaicum percepisse mihi visus sum, locumque ex tetrametris trochaicis laudatum esse ratus, hunc in modum correxi,

καὶ τοσοῦτον εὐερείας ἀπολέλαυχ' οὑπέρβολος,
ὥστε νῦν αὐχμότατός ἐστι —

Dobraeus, quem Dindorfius laudat ad Schol. l. l., vulgatam εὐεϱίας recepit; vereor, ne contra metri rationem, quod vox ista ex grammaticorum praeceptis penultimam corripit, sicuti σοφία (Nub. 360.), ἀστϱονομία (Nub. 202.) etc. Εὐέϱεια laudatur in Etym. p. 390, 19. — Dobraeus Ὑπέϱβολος; ego vulgatae lectionis vestigia secutus sum. — In versu altero ut metro consulerem, νῦν inserendum putavi. Quod Dobraeus scripsit, ὥστ' αὐχμότατος metro trochaico repugnat; nam αὐχμότατος primam producit. cfr. Hom. Hymn. XVIII, 6. — Ad fragmenti sensum quod attinet, vox τοσοῦτον habet significationem deminutivam, ut *tantum* apud latinos scriptores non raro usurpatur. Cic. ep. ad Att. I, 18,2; ad famil. I, 7, med.

XI. Tria fragmenta ex Eupolidis Adulatoribus a Polluce IX, 59. et Choerobosco in Bekkeri Anecd. gr. T. III. p. 1196. servata, a Runkelio laudata p. 130., artissime cohaerere et in unum locum sic conflanda esse arbitror,

— *Α.* δεῖπνον θὲς ἑκατὸν δϱαχμάς. *Β.* ἰδού.
Α. οἶνον θὲς ἑτέϱαν μνᾶν. *Β.* ἰδού. *Α.* θὲς νῦν ἀγϱοὺς
καὶ πϱόβατα καὶ βοῦς.

Ἰδού concedentis est particula in sermone quotidiano saepissime usurpata. Aristoph. Nub. 83. 256. 631. Eq. 157. Quae poscendo non nanciscebantur Calliae adulatores impudentissimi, ea vi deripuisse et perdidisse videntur, ut colligi licet e locis Pollucis IX, 90. et X, 10, quorum priorem eo nomine diserte adscribam, ut, si emendatione egeat, quid sentiam, declarem. Itaque ego sic legendum esse coniicio,

φοϱοῦσιν, ἁϱπάζουσιν ἐκ τῆς οἰκίας
τὸ χϱυσίον, τἀϱγύϱια πέϱθεται —

Vulgata lectio ποϱθεῖται Meinekio, viro summo, videtur suspecta adeoque Eupolidi abiudicanda esse, quippe qui, cum fragmentum laudaret (Quaest. scen. I, p. 56), hanc vocem plane omiserit. Quae vox quamquam non contra numerum iambicum huius versus peccat, tamen vel mihi sonat duriuscule; itaque si emendatione opus est, legendum esse puto πέϱθεται, quod etiam ad sensum melius est. Qui versum redintegrare volet, non male coniiciat κακῶς, vel aliquid simile.

XII. Eupolidis locus, quem laudat Iulius Pollux X, 63, ex optimorum codicum auctoritate sic scribitur,

Ἀλλ' ὦ φίλε Ζεῦ κατάχυτλον τὴν ῥῖν' ἔχεις.

Neque tamen placuit illud κατάχυτλον viris doctis, Salmasio, Kuhnio aliisque, qui καταχύτλου mallent atque sensum metrumque, quod sine dubio iambicum est, turbarent. Ego verba, quae vulgo exhibentur, integra servaverim, inserto ὡς, quod post κατάχυτλον excidisse videtur. Κατάχυτλον est instrumentum τοῦ καταχεῖν et recensetur a Iul. Polluce X, 17. inter nomina τῶν ἐν τῷ βαλανείῳ σκευῶν.

XIII. In fragmento Eupolidis, quod a Polluce servatum est X, 58. ap. Runk. p. 154.

— ὅτ' ἦν μέντοι νεώτερος, κρόκης
πέντε στατῆρας εἶχε, καὶ μὰ τὸν Δία·
νῦν δὲ ῥύπου γε δύο τάλαντα ῥᾳδίως,

tertii versus metrum vulgari lectione turbatum emendabitur, si νυνὶ δὲ leges.

XIV. Basilius MS. apud Schaeferum in extrema praefatione ad Gregor. Corinth. p. LIII. Στιβάς, στρωμνή, χαμαικοίτιον [ἐν στρατείαις], ὡς Εἰρηναῖος ὁ Ἀττικιστὴς καὶ Ἀριστοφάνης (in Pace 347.) ὁ κωμικὸς καὶ ἐν Δραπέτισι Κρατῖνος. Sic haud dubie restituendus est locus, transponendis post χαμαικοίτιον verbis ἐν στρατείαις, quae, cum casu scribaeve errore nescio quo post Ἀριστοφάνης irrepsissent, miram praebuerunt viris doctis speciem fabulae Aristophanis plane inauditae. Iam ipse verborum ordo falsissimus et depravatissimus has voces debebat extrudere, quibus eo loco, quem supra designavimus, non facile potest inveniri aptior. Rem, quae commemoratur, confirmat Scholiasta ad Aristoph. Pac. 347., qui, quid στιβάς significet, optime exponit, ἰδίως στιβάδας τὰς χαμευνίδας ἐκάλουν. ὅπερ ἦν πάσχειν ἐπάναγκες τοῖς πολεμοῦσιν, ὑπαιθρίους ταλαιπωρεῖν καὶ χαμαικοιτεῖν. στιβάδας οὖν (λέγει), ἐπεὶ οἱ στρατιῶται χαμαικοιτοῦσι. His addendum illud Hesychii quasi supplementum, στιβάς, ἀπὸ ῥάβδων καὶ χλωρῶν χόρτων στρῶσις, ἢ χαμαικοίτη. cfr. Soph. Philoct. 33. Restat, ut de loco dicamus, qui exstat in Etym. M. 727, 38. στιβάς, παρὰ τὸ στοιβάζω (unde derivatur etiam στοίβη sive στοιβή, quod vide ap. Hesych. s. v.)· Ῥυθμῷ δὲ τὸ ψεῦδος στιβάζουσιν. — ἀντὶ τοῦ δραπετεύουσι, διαφέρουσι· καὶ στιβεύειν, τὸ ἰχνεύειν. Hic locus meo iudicio corruptus ac depravatus est, neque ab una manu profectus. Ut vero, quid de loco illo sentiam, ingenue fatear, sententiam duplici modo considerari posse existimo, et locus fortasse emendatus erit, si alterutram meam coniecturam probaveris. Aut ita scribendum est post στιβάζουσιν· Κρατῖνος Δραπέτισι (διαφέρουσι)· etc. Voluit enim aliquis illud στιβάς, quod in superioribus legitur, Cratini auctoritate probare; itaque hoc διαφέρουσι, quod uncis inclusimus, inde natum esse puto, quod, quum librarius vel doctus aliquis hanc vocem in ora libri a nescio quo dubitante adscriptam reperisset, eam postea in contextum intulerit. Dubitabat vero ille, quisquis fuerit, quod significatio vocis στιβάς in Cratini loco *differret* ab ea, quam Etymologus in exemplo laudato praebet. Est enim, ni fallor, loci illius hic sensus *numero investigando mendacium explorant* (nam στιβάζω, στιβέω, στιβεύω, στείβω significant *indagare*); Cratinus autem in suo loco στιβάς *cubile* militibus in bello ex foliis, arundine aliisque eius generis confectum intelligi voluit; haec duo igitur inter se differunt, quod illud διαφέρουσι indicare videtur. Quae argumentatio si forte displicuerit, suadeo verba, ἀντὶ τοῦ δραπετεύουσι, διαφέρουσι, omnino esse delenda, ut inania et ab indocto inculcata in hunc locum, a quo alienissima sunt. Henricus Stephanus in lexico, quum exhibet locum, legit,

στιβίζουσι, idque interpretatur per *δραπετεύουσι* et *διαφεύγουσι*. Primae vocis lectio nullius pretii est; duae posteriores per se bonae ad totum absurdae sunt. Similiter plane depravatus est locus apud Hesychium, ubi legitur *σ τ ι β δ ό ς· μαστιγίας, δραπέτης*. Vocem primam sic emendo, *σ τ ι κ τ ό ς*, quod nescio an a nullo observatum sit. *Στικτός* idem significat, quod *στιγματίας* cf. *στιγών· μαστιγίας* Hesych. a *στίζω*, *pungo*. Hinc patet, quam vario modo librarii, indoctum genus hominum, soni similitudine decepti in errores incredibiles se duci passi sint et diversissima commiscuerint.

XV Poll. VI, 61. *Κρατῖνος δὲ καὶ χυλὸν πιεῖν εἴρηκεν·*

Ἀλλ' εἴσιθ' εἴσω καὶ πιοῦ -

σα χυλὸν ἀναπαύου κακῶν.

Versus sunt iambici dimetri, qui vulgo pro uno versu eoque tetrametro iambico acatalecto habentur (Crat. frag. ed. Runk. p. 78.). At vero Hermanni (d. m. p. 158.) egregia observatio docet isto tetrametro et tragicos Graecorum et comicos omnino abstinuisse. *Χυλός* est succus ex frumentis (*ἄλφιτον*), ut videtur, decoctus, quo potu stomachus imbecillus et ad nauseam pronus firmatur et recreatur, ita ut idem sit quod *βληχωνία*, cuius mentio haec est apud Aristoph. Pac. 713.

οὐκ, εἴ γε κυκεῶν' ἐπιπίοις βληχωνίαν.

Vide I. H. Vossium ad H. in Cerer. p. 66. Hesych. s. v. et Schol. ad Aristoph. Pac. l. l. Hac ratione et *πίνειν* et *τὰ κακὰ* facillime apud Cratinum intelliguntur, neque profecto causa fuit, ut verba obscura adeoque corrupta esse existimaret Runkelius, castigatus a Duebnero l. l.

XVI. Antiatticista in Bekkeri Anecd. gr. p. 108, 24. *Μεσόκοπον· ἀῤῥενικῶς, τὸν ἐπὶ μέσου ἡλικίας. Κρατῖνος.* Sic emendanda est vulgata lectio *τὸ ἐπίμεσον*. Vulgatam *τό* mutavi in *τόν*, coniectura ductus, quam grammatici observatio, *ἀῤῥενικῶς*, confirmat; nam *τὸν ἐπὶ μέσου ἡλικίας* interpretatur vocem *μεσόκοπον*. Runkelius (p. 96.), qui locum sic proponit, *μ ε σ ό κ ο π ο ν, τ ὸ ἥ μ ι σ υ ἡ λ ι κ ί α ς,* vellem indicasset, unde haec scriptura petita esset, quam non agnoscit Bekkerus. Vocem *μεσόκοπον* de medio aetatis stadio insolenter videtur usurpasse poeta noster. Cf. Phot. Lex. et Hesych. s. v. *Μεσόκοποι αὐλοί*, ibique interpr. Probatur tamen et hic usus Xenarchi auctoritate ap. Athen. XIII. p. 569. B. et similibus verbis, *μεσαιπόλιος*, *μεσῆλιξ*, *μεσόχλοος*, aliis. Cfr. Eustath. ad Il. λ, p. 883, 34.

